

CAPVT XXVII.

DE

EXTREMIS HOMINIS.

§. I.

*Tractandi
ratio.*

Hactenus de mediis salutis, partim principalibus, partim organicis, et his partim ex parte DEI, partim ex parte hominis. Superfunt *media*, ut ita loquamur, *naturalia*, seu non caussalia, quae se habent instar viae, per quam et super quam ambulandum est, ut ad locum destinatum veniamus. Sunt enim et *mors* hominis et *sepultura* et *resurrectio* et *coelum*, quasi ianuae quaedam, per quas in gloriam introeundum est, ut tamen ad ipsam gloriam adipiscendam nihil agant, sicut via nihil agit ad consequendum itineris terminum.

*Cur et
quae ex-
trema di-
cuntur?*

§. 2. Vocantur *extrema*, quia ultimum in militante ecclesia occupant locum. Iis quippe praesentibus finitur ecclesia militans et incipit triumphans. Parum autem interest, quo ordine, quoque numero recenseantur, dummodo constet, ea denominatione contineri hominis *mortem*, eiusdem *sepulturam*, *resurrectionem*, *aduentum CHRISTI ad iudicium*, *consummationem seculi*, *coelum* atque *infernum*. Quanquam nos ob materiae connexionem de iudicio extremo iam in articulo de **CHRISTO** egerimus.

§. 3.